

B A V A R I A

D V C A T V S.

Diviso.



*Mona-
chium.*

Avaria in duas partes est divisa, in superiorem nempe & inferiorem; hæc Orientem, illa Occidentem spectat. Superior versus Meridiem, Alpibusque vicina, magnis lacibus & stagnis, nec non fluvii & saltibus abundat: inferior populis frequentior est, agerque ejus excultior, & ad Danubii, Isaræ & Laberæ confluentes fertilis, viniq[ue] feracissimus. Superioris Bavariae urbes sunt *Monachium*, *Ingolstadium*, *Freisinga*, aliæque.

Monachium situm est ad Isaram flumen, quod ex Alpibus Pœninis lapsum Septentrionem versus volvit, inque Danubium sese exonerat; sedes est Bavariæ Ducum, urbs ampla, potens, elegans. Exstructa fertur ab Ottone Duce, anno Christi 1462; nomen autem habere ex eo, quod monachorum villa hoc loco fuerit collegii Schefflariensis: itaque insigne illi adhuc monachus, qui passis ulnis dextera speciem jurantis præ se fert, læva librum tenet. Muris cincta dicitur anno 1157, opera Ottonis Bavariæ Ducis. Sita est loco amoenissimo; Occidentem versus respicit Lycum amnum & Augustam Vindelicorum: versus Orientem, Änum & Wasserburgum, paribus intervallis decem milliarum. Septentrionem versus est Frisinga; ad Meridiem montes Tirolenses. Amplitudo ejus interior continet passus quingentos. Templum in urbe sunt varia; duo autem præcipua, quorum alterum B. Petro, alterum B. Virginis sacram est, in quo monumenta spectantur illustrium Bavariæ Ducum, & Ludovici IV Imperatoris. Turres hujus templi binæ columnarum instar rectæ adsurgunt in altitudinem pedum 333. Organum musicum pneumaticum ejus templi constat ex tubis buxeis, quibus nullæ in universa Germania capaciores ex plumbo vel stanno fusiles esse creduntur. Monasteria plura sunt, Franciscanorum, Augustinianorum, Iacobitarum, aliorumque. Inter quæ magnificum illud Patrum Iesuitarum collegium eminet, ampli potius cujusdam & regalis palatii, quam cœnobii aut monasterii structuram referens. Primum templi porta conspicitur statuis diversis, columnis sculpturisque decorata; parsque illius interna picturis insignibus, operibusque prominentibus artificiose elaboratis conspicua: fornicem habet ex lapide & gypso singulari industria cælato compositum. Insuper se offert in collegium aditus, portâ suâ magnificis picturis exornatâ superbiens: intus apparent perystilia

& ambulacula, Italicos fastus omnino præ se fermentia. Collegium ædificari coepit est à Duce Guilielmo (qui vitæ normam Iesuitarum non absimilem sibi instituerat) petitis ad hoc undique opificibus architectisque, tum ut opus collegii inchoatum consummaret, tum ut palatium (uti nunc est) splendidum & plane regium, exstrueret; quod inter prima mundi mirabilia merito collocari potest, sive amplitudo locorum quadrangularium, porticibus circumquaque ex marmore & iaspide affabre factis, cinctorum consideretur, sive magnificentia aut multitudo aularum, in quibus præclaras Ducum Bavariæ gesta depicta, Phrygianoque opere texta conspiciuntur. Hortus præter artificiosum fontem, & domum pulcherrimis picturis ac statuis ornatam, pergulasque & antra ex opere topiario, hoc habet insigne, quod sub vesperam quotidie vergente ad noctem crepusculo, magnus cervorum grex fenestras arcis sua sponte subeat; quasi dominum salutans, ut facile sit Principi vel sagitta vel sclopeto destinatum aliquem ex tam multis confidere. Bibliotheca Ducalis habet uudecim millia voluminum, quorum magna pars scripta est manu. Vicinum ei est theatrum: infra theatrum locus, in quo statuæ & monumenta ex Italia Græciaque & remotioribus locis immani sumptu petita adservantur. In curia Ducali aluntur tigrides, lynces, ursi, leones, etiam ad genituram. Ante palatium exstructus est à Ferdinando Duce fons ad ornamentum & usum civitatis, quem quatuor angulis statuæ elementorum, in medio, equitis galatei & cristati simulacrum exornat. Viæ urbis latæ sunt, nitidæ, superbis ædificiis exornatae; ad quarum munditiem multum faciunt canales tres ex Isaræ alveo ducti.

Ad ripam Mosaci amnis sita est Frisinga, *Frisinga*. quam vetustiores Fruxinum vocavere. Est autem urbs amœna, colli imposita, agro satis fertilis. Locum sic describit Otto ejus urbis Episcopus: Mons est in pulcherrimo & amœnissimo loco positus, limpidissimarum aquarum, ac præcipue Isaræ rapidissimi fluvii cursu conspicuus, totam illius regionis faciem, & ex Australi plaga latissimam campi planitem tanquam è specula longe lateque contemplans.

Ingolstadii. Ingolstadium urbs ad Danubium flumen posita est, ab Anglis Suavis sic dicta: initio tantum vicus fuit; verum ab Imperatore Ludovico Barbaro jura privilegiaque, quibus civitates doñari solent, obtinuit. Hoc tempore claret Academia & Universitate scientiarum omnium disciplinarumque doctrinâ celebri, quæ immunitatibus amplis à Ludovico Bavariæ Duce, summoque Pontifice Pio II dotata fuit. Vrbs ipsa tan-